



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 40. Cæsar ad Venetorum preces inexorabilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

posueris, amplectemur: omnes justas, honestas, & ab æquitate, rationeque minime alienas ducemus. Ad te verum, & legitimum Principem omnia, quæcunque Majores nostri Sacro Imperio, & Austriæ Ducatui ademerunt, redeant; quibus ut decentius veniant, omnia quæcunque in continenti possidemus, adjungimus, quarum rerum jurebus quocunque modo partis cedimus. Præterea quotannis Majestati tuæ & legitimis Imperii Successoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributum nomine pendemus. Defende nos, quæso, ab illorum, cum quibus paulo ante arma nostra conjunximus, insolentia, quos nunc sævissimos hostes experimur, qui nihil aliud expetunt, quam Veneti nominis interitum. Tua ista clementia conservati, Te Urbis nostræ Parentem, genitorem, conditoremque appellabimus. Cetera hujus sermonis non nisi amplas Cæsaris laudes, ac calamitosi, quo Respublica fluctuabat, status descriptionem complectebantur, ut Imperator ad protegendos Venetos eorum submissione flecteretur.

§. XL.

*Cæsar ad Venetorum preces inexorabilis.*

Verum orationi huic optatus non respondit eventus; quippe Imperator

æcal. XVI.  
A.C. 1509.

*Spond. ad hunc an. n. A.*

D 2, prospe-

Sæcul. XVI  
A. C. 1509

Bembo l. 8.  
Ciacon. in  
Jul. II.

prospera armorum fortuna, victoriisque præter spem reportatis paulo elatior, nec non humanarum rerum inconstantiae immemor, nihil hac super re cum Venetis pacisci voluit absque Galliarum Regis assensu.

## §. XLI.

*Venetorum postulata itidem a Pontifice rejeſta.*

Bembo l. c.  
Ciac. ib.

Nec summum Pontificem sibi magis propitium experiebantur Veneti; is enim jamjam Ravennæ arcem armis suis subjecerat, præſidiariis jure belli captis. Re intellecta, Grimanus & Cornerus Cardinales, nomine suæ patriæ Pontificem adeunt, rogantque, ut recuperatis, quæ antea ad ditiones Ecclesiasticas pertinebant, urbibus censuras in Rempublicam fulminatas tolleret; verum Pontifex Oratores in conspectum suum, nec venire, nec eos alloqui sustinebat, sed a Venetis etiam reditus, quos a possessis ditionibus percepissent, repetebat, ac jurisdictionis Ecclesiasticæ temere violatæ injuriam reparari postulabat. Hoc Pontificis petito Senatus tantopere concitabatur, ut liberrime Papam convitiis appeteret, illumque nonnisi generis humani hostem, & Patris communis nomine prorsus